

puellam. *Abi hinc cum immaturo, amore ad sponsum, inquit, oblita fratrum mortuorum vivique, oblita patriae. Sic eat, quaecunque Romana lugebit hostem.* Atrox visum id facinus Patribus plebique; sed recens meritum facto obstabat: tamen raptus in jus ad regem. Rex, ne ipse tam tristis ingrati que ad vulgus judicii, aut, secundum judicium, supplicii auctor esset, concilio populi advocato, *Duumviros, inquit, qui Horatio perduellionem indicent secundum legem, facio.* Lex horrendi carminis erat: *Duumviri perduellionem judicent. Si a Duumviris provocarit, provocatione certato: si vincent, caput obnubito, infelici arbori reste suspendito: verberato vel intra pomoerium, vel extra pomoerium.* Hac lege Duumviri creati, qui se absolvere non rebantur ea lege, ne innoxium quidem, posse, quum condemnassent; tum alter ex his: *P. Horati, tibi perduellionem indico, inquit. I, lictor, colliga manus.* Accesserat lictor, injiciebatque laqueum. Tum Horatius, auctore Tullo, clemente legis interprete, *Provoco,* inquit. Ita de provocatione certatum ad populum est. Moti homines sunt in eo judicio, maxime P. Horatio patre proclamante, se filiam jure caesam judicare: ni ita esset, patrio jure in filium animadversurum fuisse. Orabat deinde, ne se, quem paullo ante cum egregia stirpe conspexissent, orbum liberis facerent. Inter haec senex, juvenem amplexus, spolia Curiatorum fixa eo loco, qui nunc Pila Horatia appellatur, ostentans: *Hunc sine, ajebat, quem modo decoratum ovantemque victoria incedentem vidistis, Quirites, eum sub furca vinctum inter verbera et cruciatus videre potestis? quod vix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent.* *I, lictor, colliga manus, quae paullo ante armatae imperium populo Romano pepererunt. I, caput obnube liberatoris urbis hujus: arbori infelici suspende: verbera, vel intra pomoerium, modo inter illa pila et spolia hostium; vel extra pomoerium, modo inter sepulcra Curiatorum. Quo enim ducere hunc juvenem potestis, ubi non sua decora eum a tanta foeditate*